MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81296-15

AUTHOR:

PRELLER, LUDWIG

TITLE:

DE LOCIS ALIQUOT PAUSANIAE ...

PLACE:

DORPATI

DATE:

[1840]

Master Negative #
93-81296-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Preller, Ludwig, 1809-1861.
... De locis aliquot Pausaniae disputatio brevis, accedit additamentum Polemonis. Dorpati, ex officina academica J. C. Schünmanni viduae, [1840]
8 p. 26 cm.

At head of title: Index scholarum in universitate litteraria caesarea Dorpatensi ... 1840 ...
Bound with: Pfundtner, J. O. Pausanias Periegeta imitator Herodoti. [1866]

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4.19.93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202




Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Nr 4

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA CAESAREA

DORPATENSI

PER

SEMESTRE ALTERUM ANNI MDCCCXL

A. D. XXIV JUL. AD D. XIX. DECEMB.

HABENDARUM.

INEST PRELLERI DE LOCIS ALIQUOT PAUSANIAE DISPUTATIO BREVIS.
ACCEDIT ADDITAMENTUM POLEMONIS.

DORPATI
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI VIDUAE.

Urgentibus lectionibus ne nihil huic libello praemittam, locos aliquot Pausaniae ita tractabo, ut ubi a novissimorum editorum Schubarti et Walzii iudicio dissentiendum mihi videatur, paucis hoc significem. Namque egregie quidem post tot priores tum illi de Periegeta emendando atque perpoliendo meriti sunt, tum qui censuras huius editionis scripserunt, Creuzerus in Notitt. litterar. Monac. 1838 No. 91—96, Westermannus in Seeb. et Jahn. Annal. 1839 Fasc. I, Siebelisius in Ephem. litterar. Hal. 1839 No. 28—33: at enimvero tot per illum scriptorem sparsae sunt corruptelae, tam parum in codicibus subsidii est (v. Schubart. et Walz. Vol. I praef.), tam impedito denique ipse Pausanias nonnunquam utitur dicendi genere, ut frequentissima etiam nunc criseos factitandae lectionumque vel defendendarum vel impugnandarum occasio libros eius usurpantibus offeratur. Neque duumviri illi quos nominavi, homines doctissimi, rem confectam arbitrantur, quamquam decem amplius annos in editione sua praeparanda se occupatos fuisse professi sunt; quin ingenue etiam et censoribus illis gratias egerunt et si quis alius ad scriptorem suum vel emendandum vel explicandum in promtu quid haberet, ut hoc in medium proferret rogaverunt, Vol. III praef. Vellem equidem plura haberem quae talibus viris offerre possem. Interim etiam pauca illa, quae

iam enotabo, accepta fore confido; sicut solent qui rei alicuius studiosiores sunt etiam minutioribus, si modo aliqua in iis inest utilitas, benevole uti.

I, 2, 4 retinendum puto quod ex codd. dedit Bekkerus *ὅσοις τι ὑπῆρχεν ὧν τις λόγος ἐς δόξαν.* Sic **I, 9, 4** *τούτοις μείζονα ὑπῆρχέ πως ἢ ἄλλου πάρεργα εἶναι λόγου.*

I, 8, 3 *Εἰρήνη φέρουσα Πλούτωνα παῖδα*, satis manifestum ex IX, 16, 2 corrigendum esse *Πλοῦτον.* Nam licet subinde confundantur Pluto et Plutus (v. quos citat Siebelisius), tamen non confunduntur nisi notione et cogitatione nec sine altioris cuiusdam sensus significatione specieque allegorica, quae in hunc locum prorsus non convenit. Sermo est de signo Pluti, quod tantum discrepabat a signo Plutonis, quippe figura, aetate, attributis diversissimum, ut absonum fuisset, si alterum pro altero nominasset.

I, 13, 7 miram causam, cur Ceres vulnerasse Pyrrhum regem putata sit, commenti sunt Stackelberg Graeber d. Griech. I p. 43 et Welcker Rh. Mus. IV, 3 p. 476. Vera causa erat, quod Pyrrhus spoliaverat thesauros Cereris Ennensis, v. Dionys. Hal. Excerpt. p. 2362 Reisk; Suid. v. *Ἄβυσσος* et *Πύῤῥος.*

I, 14, 1 *ἐν δὲ τῷ Τριπτολέμου* etc. Ita in omnibus codicibus, nisi quod in duobus supra vocem *τῷ* scriptum est *δέ.* Inde Creuzerus legendum putavit *ἐν δὲ τῷ Δήμητρος*, quod praeter ea, quae contra monet Westermannus, etiam inde refutatur, quod templum illud supra fontem Enneacrunon sine dubio erat Cereris et Proserpinae, quae semper coniunctae erant, non alterum Cereris alterum Proserpinae. Sed recte puto Creuzerus de templo Triptolemi dubitavit, et apparet coniungendum esse

Τριπτολέμου ἄγαλμα. Mihi scribendum videtur *ναοὶ δὲ ὑπὲρ τὴν κρήνην ὁ μὲν Δήμητρος πεποίηται καὶ Κόρης· ἐν δὲ τῷδε Τριπτολέμου κείμενόν ἐστιν ἄγαλμα*, quae ut recte intelligas, continuo subiungas quae sequuntur § 3, *πρὸ τοῦ ναοῦ τοῦδε, ἔνθα καὶ τοῦ Τριπτ. τὸ ἄγαλμα* (sic loquitur, ne hoc templum confundatur cum Eleusinio, quod in alia urbis regione erat) et deinde, *ἔτι δὲ ἀπωτέρω ναὸς Εὐκλείας*, quod respondet illis, *ναοὶ ὑπὲρ τὴν κρήνην ὁ μέν.* — Minus placet emendatio Schubarti Vol. III praef. p. VI, *ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ.*

I, 14, 2 *ἀδελφοὺς — θυγατέρα.* Cum in codicibus longe plurimis sit *θυγατέρας*, scrib. v. *ἀδελφιδοῦς.* — Ibidem in verbis *Ἀθηναῖοι δὲ καὶ ὅσοι παρὰ τούτοις* ingeniose Siebelisius aut *ἐμυήθησαν* excidisse aut *ὅσοι πλησιόχωροι τούτοις* legendum existimavit. Verum dicit Pausanias ni fallor Eleusinios, quos distinguere vult ab ipsis Atheniensibus neque vero appellare potuit vicinos (*πλησιοχώρους*) Atheniensium.

I, 19, 1 sane delendum est *τὸν ὄροφον*, quod ex glossemate vocis *στέγην* ortum videtur.

I, 19, 7 nullum sensum habet quod receptum est, *ἄνωθεν ὄρος.* Sine dubio scribendum *ὄρους.*

I, 20, 1. Clavierii emendatio *εἰσὶν οὐ* satis commendatur comparatione horum locorum: II, 1, 7 *τῷ ναῷ δὲ ὄντι μεγέθει οὐ μείζονι ἐφεστήκασι Τρίτωνες χαλκοῖ*, III, 24, 4 *καὶ ἐπ' αὐτῇ χαλκοῖ ποδιαίων ἑστήκασιν οὐ μείζονες πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες.* Vulgatam ingeniose quidem defendit Westermannus; sed aliter puto loquutus esset Pausanias, si illud quod commentatur Westermannus dicere voluisset. Deinde post *εἰργασμένα* multa excidisse apertum est.

I, 32, 2 Ἀλαζῶσι γὰρ συνήθεις ὁμοῦ τοῖς ἀνθρώποις ἐς νομὰς ἰοῦσιν κτλ. Editores contra omnes codices (nam quod in nonnullis est ἄνοις, id ipsum est compendium vocis ἀνθρώποις) ὁμοῦ τοῖς ἄλλοις. Mihi vulgata lectio retinenda et sic explicanda videtur: Apes cum Scythis Nomadibus ita vagantur, ut una cum hominibus agros camposque commutent, quippe certis alvearibus non inclusae.

I, 42, 2 pro ἐς αὐτὴν γάρ scribendum puto ἐς αὐτὴν ἄρα. Idem vidit Siebelisius.

II, 1, 4 ἐν Ἐπιδαύρῳ τῇ ἱερᾷ. Editores scrib. suspicantur τῇ Ἀργείᾳ. Mihi aut vulgatum retinendum aut ἐν Ἐπιδαυρίων τῷ ἱερῷ scribendum videtur, v. II, 27, 5.

II, 11, 6 περιοικοῦσι καὶ τὸ πολὺ οἰκέται τοῦ θεοῦ. In codicibus ferme semper confunduntur οἰκέται et οἱ ἱκέται, v. cap. 13 not. 17; 27, 2; 4; III, 4, 5 not. 20. Ad sensum vero longe convenientius quod scribendum existimavit Valkenarius, οἱ ἱκέται.

II, 34, 11 Δήμητρος δὲ ἱερὰ πεποίηται Θερμασίας, τὸ μὲν ἐπὶ τοῖς πρὸς τὴν Τροιζηνίαν ὅροις, ὡς ἔτι ἔμενον οἱ δῆμοι, τὸ δὲ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει. Mirum neminem dum omnium editorum in illis ὡς ἔτι ἔμενον οἱ δῆμοι offendisse, quae quid sibi velint equidem non video. In codicibus est ἔτι εἶμεν ἀνήδημοι vel ἔτι εἶμεν ἂν εἴδη μοι, similiter. Scribas ὡς εἰρημένον ἤδη μοι, nam dixerat in superioribus de eodem Cereris Thermasiae fano, v. II, 34, 6 τὰ δὲ πρὸς θάλασσαν ἐν ὅροις τῆς Ἑρμιονίδος ἱερὸν Δήμητρός ἐστιν ἐπίκλησιν Θερμασίας. Possis et de λελεγμένον, δηλούμενον ἤδη μοι cogitare, sed ad codicum lectiones proxime accedit εἰρημένον, quod simili connexu legitur IV, 5 init.

II, 36, 1 καὶ Ἁλικὸς λόγος. Scribendum puto Ἁλικίνων vel Ἁλικαίων κατάλογος, cf. II, 27, 3. Gentile Ἁλικῖνος ab Ἁλίκη formandum ad analogiam Ἐρυκῖνοι ab Ἐρύκη, Παλικῖνος a Παλίκη: nam quod G. Hermannus Opusc. Vol. VII p. 320 contendit, etiam Παλικηνός ferri posse, id mihi quidem non persuasit. Ipse Pausanias III, 16 4 Ἐρυκίνην χώραν, et satis nota Venus Erycina, quae nunquam dicitur neque Erycena neque Erycaea. Tamen cives Erycae oppidi Erycaeos dictos fuisse testatur Steph. B. v. Ἐρύκη et Etym. M. p. 379, indeque fortasse scribendum Ἁλικαίων κατάλογος.

III, 19, 5 pro μνῆμα fortasse scrib. ἀνάθημα.

IV, 31, 8 scrib. v. τὰ μὲν δὴ τοῦ λίθου Δαμοφῶν ἐστὶν ὁ ἐργασάμενος.

V, 11, 2 verba ὑπελθεῖν δὲ οὐχ οἷόν τε etc. praeter illos, qui citantur, illustravit Roese in Kugleri Museo 1837 No. 27.

VII, 24, 7 scrib. v. τοιοῦτό γε δὴ κατέλαβεν ἐν Σιπύλῳ καὶ τὸ ὄρος ἕτερον τὴν ἰδέαν γενέσθαι καὶ τὴν πόλιν ἐς χάσμα ἀφανισθῆναι.

Haec hactenus de Pausania. — Liceat simul additamentum Polemonis subiicere, quod per litteras mihi amicus suppeditavit. Omisi enim in mea fragmentorum editione (Lips. 1838) hunc locum, ap. Schol. Eurip. Orest. v. 1632, ex cod. Florentino a Matthia editum: Πολέμων δὲ καὶ ἐν τῷδε τῷ πρὸς Ἀλεξανδρίδην τὴν μὲν τῶν δυοῖν ἀστέρων ἐπιφάνειαν τῶν Διοσκούρων ἀνομολογεῖσθαι, τὴν δὲ τῶν λεγομένων ζαβείρων: quae sic emendantur a Madvigio in Emendatt. in Cic. libb. de Legg. et Acad. Hafn. 1826 p. 137: Π. δὲ καὶ ἐν τῷ δ' τῶν πρὸς Ἀλεξ. τὴν μὲν τῶν δυοῖν ἀστέρων ἐπιφάνειαν τῶν Διοσκ. (Φησιν?) ἂν ὁμολογεῖσθαι, τὴν δὲ

τῶν γ' τῶν λεγομένων Καβείρων. Idem adiicit haec: „De numero ternario a nobis restituto, praeterquam quod veritas apparet e praecedenti τὴν μὲν τῶν δυοῖν, persuadebunt cetera ad h. l. scholia et ad v. 1626 et 1683, cf. Eurip. Hal. 1667. Notae sunt mythologorum disputationes post Hemsterh. ad Lucian. II p. 340 Bip.“ Ceterum duas ex hoc loco lucramur notationes: 1) de titulo operis πρὸς Ἀλεξανδρίδην editi, quem addas iis, quos enumeravi in fragm. Polem. p. 18 sqq. 2) quod Alexandridem Delphum, de quo dixi ibidem p. 176 sq., iam constat ante Polemonem vixisse, credo temporibus primorum Ptolemaeorum.

D. Dorpati mense Julio MDCCCXL.

I. SCHOLAE ORDINIS THEOLOGORUM.

ANDREAS CASPAR FRIDERICUS BUSCH D., a Consil. Publ., Historiae ecclesiasticae et litterarum theologicarum P. P. O., Ordinis Theologici h. t. Decanus leget: 1) historiae ecclesiasticae Novi Testamenti partem alteram sec. Guericke, dd. Mart., Merc., Jov. h. VIII—IX et d. Ven. h. VIII—X; 2) historiam Reformationis, sec. Guericke, dd. Mart., Merc., Jov. h. IX; 3) et 4) exercitationes patristicas moderari perget in Seminarii theologici classe secunda itemque, dum vacat cathedra dogmaticae, in classe prima, horis binis definiendis.

CAROLUS CHRISTIANUS ULMANN D., a Consil. Colleg., Theologiae practicae P. P. O., Universitatis litt. h. t. Rector magnificus docebit: 1) catecheticam, duce Hueffelio, dd. Lun. et Mart. h. X—XI; 2) theologiam pastoralem, duce eodem, dd. Merc., Jov., Ven., Sat. h. X—XI; 3) moderabitur exercitationes practicas in Seminario theologico, d. Merc. h. XI.

CAROLUS FRIDERICUS KEIL, Phil. et Th. D., a Consil. Aul., Exeg. et Ling. Orient. P. P. O. interpretabitur 1) S. Pauli epistolam ad Romanos, quaternis diebus prioribus hebd. h. IV—V; 2) vaticiniorum Jesaiae partem alteram, dd. Lun., Mart., Jov., Ven. h. V—VI; 3) docebit archaeologiam biblicam sec. compendium de Wettii ed. alt., dd. Lun. et Merc. h. III, d. Ven. h. IV, d. Sat. h. IX; 4) linguam Syricam docebit sec. grammaticam Hoffmanni et chrestomathiam Kirschii editam a Bernsteinio, horis definiendis; 5) Seminarii theologici sodalibus apocalypseos partes selectas interpretandas proponet, d. Sat. hora consueta.

Cathedra Prof. O. theologiae systematicae vacat.

* * *

AUGUSTUS CARLBLOM D., a Consil. Aul., Ord. S. Stanislai cl. III eques, in Gymnasio Dorpatensi Rer. Sacr. et Linguae Hebraicae magister ord. super., Dogmaticae et Moralis theol. vice fungens docebit: 1) ethicam christianam sec. compendium Nitzschii, System der christlichen Lehre, edit. 4ae Bonnae 1839, dd. Lun., Mart., Jov., Sat. h. XII—I; 2) habebit conversatorium theologicum cum auditoribus suis h. IV—VI.

II. SCHOLAE ORDINIS ICTORUM.

CAROLUS EDUARDUS OTTO D., a Consil. Colleg., Juris civilis tum Romani tum Germanici, Juris administrationis generalis et Jurisprudentiae practicae P. P. O., p. t. Decanus tradet: 1) Pandectarum partem alteram duce Hauboldo, quinis diebus prioribus hebd. h. XI—XII; 2) ius Romanum hereditarium atque obligationum, duce Hauboldo, dd. quinis prioribus hebd. h. XII—I; 3) historiam litterariam iuristicam temporis recentioris atque recentissimi, duce Hugone, dd. Merc. et Jov. h. X—XI; 4) privatissime societatis suae iuristicae exercitationes disputatorias atque exegeticas moderari perget, d. Sat. h. IV—VI.

ERDMANNUS GUSTAVUS BROECKER D., a Consil. Colleg., Ord. S. Annae class. tert. Eques, Juris publici et gentium ac Politicae P. P. O. tradet: 1) diplomatiam sec. Martens, guide diplomatique Vol. II, Lips. 1832, diebus quinis prioribus hebd. h. V—VI; 2) iuris publici positivi partem alteram, duce Poelitzio, die europ. Verfassungen seit 1789 Vol. III Lips. 1833, totidem diebus h. VI—VII; 3) de Russiae ad ceteras civitates ratione disputabit sec. СОБРАНІЕ ЗАКОНОВЪ, totidem diebus h. XI—XII.

FRIDERICUS GEORGIUS BUNGE D., a Cons. Colleg., Juris provincialis Curonici, Livonici, Ehstonici et theoretici et practici P. P. O. tradet: 1) ius publicum Livonicum, Ehstonicum, Curonicum, sec. manuale suum, diebus quaternis prioribus hebd., horis pomeridianis IV; 2) historiam externam iuris Livon., Ehston., Curonici, iisdem diebus h. V.

CAROLUS OTTO DE MADAI D., a Consil. Aul., Juris Criminalis, Processus criminalis, Hist. Juris et Hist. litterariae iuridicae P. P. O. Tribunalis academici, quo provocatione certatur causaeque recognoscuntur h. t. Praeses leget: 1) ius criminale commune, duce Hefftero Lehrb. des gemeinen Criminalrechts, quinquies per hebd. h. VIII—IX; 2) processum criminalem communem, duce eodem, quinquies per hebd. h. IX—X; 3) fragmenta Ulpiani interpretabitur historiamque iuris passim explicabit, in usum iuris studiosorum atque philologorum, ternis diebus h. XI—XII.

Cathedra Prof. O. iuris Russici vacat.

* * *

EWALDUS SIGISMUNDUS TOBIEN D., privatim docens, Prof. iuris Russici vice fungens docebit: 1) iuris privati Russici partem priorem sec. СВОДЪ ЗАК. ГРАЖД. quinis diebus prioribus hebd. h. III—IV; 2) iuris privati Russici partem alteram, totidem diebus h. IV—V; 3) historiam iuris Russici a temporibus antiquissimis usque ad Svod conceptum, sec. opera Eversii, Reutzii et fontes, totidem diebus h. V—VI.

III. SCHOLAE ORDINIS MEDICORUM.

ALEXANDER HUECK D., a Consil. Colleg., Anatomiae et Medicinae forensis P. P. O., h. t. Decanus, leget anatomiae partem alteram, quotidie h. IX—X, sec. manuale suum, Dorpati 1835.

JOANNES FRIDERICUS ERDMANN D., a Consil. Publ., Ordd. S. Stanisl. class. sec., S. Wladimiri class. tert. et S. Annae class. sec. c. cor. imper. Eques, Diaeteticae, Materiae med., Hist. medicinae et Litterarum medicarum P. P. O. docebit: 1) Pharmacologiae artisque formularum medicarum concipiendarum partem alteram, ducibus Sobernhemio et Phoebo, quinis diebus prioribus hebd. h. IV—V et d. Sat. h. XII; 2) diaeteticam duce Klosio, dd. Merc. et Sat. h. III.

THEOPHILUS FRANCISCUS EMANUEL SAHMEN D., a Consil. Publ., Ordd. S. Wladimiri quart. class. et S. Stanislai tert. class. Eques, Therapiae et Clinicae P. P. O. docebit: 1) doctrinam de morbis acutis sec. comp. Raymanni, edit. 5ae dd. Lun., Mart., Merc., Ven. h. V—VI; 2) morborum chronicorum partem alteram, duce eodem, dd. Mart., Jov., Sat. h. X—XI; 3) clinicum medicum moderabitur, quotidie h. XI.

PIERS USO FRIDERICUS WALTER D., a Consil. Colleg., Artis obstetriciae et scientiae morborum mulier. et infant. P. P. O. tradet: 1) pathologiam et therapiam morborum mulierum, duce Joergio, quinquies h. IV—V; 2) artis obstetriciae partem alteram, duce Buschio, quinquies h. VIII—IX; 3) exercitationes obstetricias adhibito phantomate moderabitur, dd. Merc. et Sat. h. V—VI; 4) clinicum obstetricium moderabitur h. IX—X.

NICOLAUS PIROGOFF D., ab Aul. Consil., Ord. S. Annae class. tert. Eques, Chirurgiae theoreticae et practicae P. P. O. tradet: 1) chirurgiae theoreticae partem priorem duce Chelio, h. XII—I, sexies per hebd. 2) artem operationum chirurgicarum duce Velpeau, méd. opérat, ed. nov. 1839, h. III—IV, ternis diebus; 3) moderabitur clinicum chirurgicum, h. X—XI, sexies per hebdomadem.

ALFREDUS GUILIELMUS VOLKMANN D., a Consil. Aul., Physiologiae, Pathologiae et Semioticae P. P. O. docebit: 1) physiologiae partem alteram sec. manuale suum, quinquies h. V; 2) pathologiam universalem, sec. manuale Starkii, quinquies, horis definiendis.

* * *

FRIDERICUS HENRICUS BIDDER D., Colleg. Assess., P. P. E. O. et Prosector ex Germania redux docebit: 1) anatomiae systematicae corporis humani partem priorem, quotidie h. X—XI, sec. manuale Krausii, Hanov. 1833; 2) histologiae fundamenta ad exempla a se praeparata exponet, adiunctis demonstrationibus microscopicis, dd. Jov. et Ven. h. XII—I; 3) cadaverum secandorum exercitationes moderabitur quotidie h. II—IV.

HERMANNUS KOEHLER D, a Consil. Colleg., Ord. S. Stanisl. class. quart. Eques, ad docendum publice constitutus, docebit: 1) historiam medicinae sec. Heckerum et Choulant, quinquies per hebd. h. IV—V; 2) politiam medicinalem militarem, duce Niemanno, dd. Mart. et Ven. h. V—VI.

IV. SCHOLAE ORDINIS PHILOSOPHORUM.

LUDOVICUS PRELLER D., a Consil. Aul., Eloquentiae, Philologiae classicae, Aestheticae et Historiae Artium P. P. O. h. t. Decanus classis I et III leget: 1) mythologiam Graecorum et Romanorum, ducibus Creuzero, Muellero, aliis, dd. Lun., Mart., Merc., Jov. h. IX—X; 2) Plauti Trinummum interpretabitur, dd. Lun. et Mart. h. X—XI; 3) Seminarii philologici et paedagogici sodalibus Platonis Menonem interpretandum proponet, adiunctis exercitationibus in latine scribendo et disputando.

FRIDERICUS SCHMALZ D., a Cons. Coll., Ord. S. Ann. class. tert. Eques, Oeconomiae et Technologiae P. P. O., h. t. Decanus cl. II et IV docebit: 1) artem agri animaliumque colendorum, sec. Burgeri Lehrb. der Landwirthschaft, 1830, quinis diebus prioribus hebd. h. IX; 2) silvarum colendarum scientiam sec. manuale Pfeilii, 1839, ternis diebus prioribus hebd. h. VIII.

MAURITIUS DE ENGELHARDT D., a Consil. Publ., Ord. S. Ann. class. sec. c. cor. imper. Eques, Historiae naturalis universalis et Mineralogiae peculiariter P. P. O. exercitationes mineralogicas moderabitur, sexies per hebd. h. XI.

FRIDERICUS PARROT D., a Consil. Publ., Ord. S. Ann. class. sec. c. cor. imper. Eques, Physicae P. P. O. docebit Physicam ratione habita studii medicinae atque oeconomiae, sexies per hebd. h. XI—XII, sec. manuale Neumanni, Vindob. 1835.

CAROLUS LUDOVICUS BLUM D., a Consil. Publ., Ord. S. Ann. class. tert. Eques, disciplinarum statisticarum et geographicarum P. P. O. docebit: 1) geographiam atque ethnographiam universalem, quinquies per hebd. h. XII—I; 2) historiae antiquae conspectum dabit sec. manuale Heerenii, dd. Lun., Mart., Jov. h. XI—XII.

FRIDERICUS KRUSE D., a Consil. Publ., Ord. S. Ann. class. tert. Eques, disciplinarum historicarum P. P. O. docebit: 1) historiae univ. partem alteram, quinquies per hebd. h. III—IV, sec. tabulas suas historicas, Halae 1834; 2) historiae Russicae partem alteram, ternis diebus prioribus hebd. h. IV—V, duce Eversio; 3) historiam Livoniae, Ehstoniae, Curoniae sec. manuale Friebii, d. Jov. h. IV—V.

FRIEDEMANNUS GOEBEL D., a Cons. Publ., Ord. S. Ann. class. sec. Eques, Chemiae et Pharmaciae P. P. O. docebit Chemiam coniunctionum anorganicarum, adiunctis experimentis, sec. manuale Berzelii ed. 3., sexies per hebd. h. X—XI.

EBERHARDUS DAVID FRIEDLAENDER D., a Consil. Colleg., Ord. S. Annae class. tert. Eques, disciplinarum quae pertinent ad rem mercatoriam P. P. O., docebit: 1) Oeconomiam publicam, duce Ra-

vio, polit. Oeconomie Vol. II, Heidelb. 1839, quinis diebus prioribus hebd. h. IX—X; 2) politiam sec. Heckeri Polizei, Lips. 1840, totidem diebus h. X—XI.

CHRISTIANUS FRIDERICUS NEUE D., a Cons. Coll., Ord. S. Wladim. class. quart. et S. Annae class. tert. Eques, Hist. Litt., LL. Gr. et Lat. et Paedag. P. P. O. 1) artem metricam Graecorum et Romanorum explicabit sec. Hermanni epitomam doctrinae metricae, dd. Mart., Merc., Jov. h. XII—I; 2) Aristophanis Ranas interpretabitur, iisdem diebus h. XI—XII; 3) Kindii chrestomathiam neograecam explicabit, dd. Lun. et Mart. h. IV—V; 4) Seminarii philol. et paedag. sodalibus Virgilii eclogas interpretandas proponet, adiunctis exercitationibus in latine disputando et scribendo.

ALEXANDER BUNGE D., a Cons. Coll., Historiae Naturalis in universum et Botanicae peculiariter P. P. O. leget: 1) de familiis et generibus florae Livonicae, ternis dd. prioribus hebd. h. IX—X; 2) botanicam pharmaceuticam explicabit, iisdem dd. h. III—IV. In illis lectionibus utetur Meyeri libro „Preusseus Pflanzengattungen" iisque quae ipse in eum usum comparavit, in hisce Flora Kostcletzkii.

MICHAEL ROSBERG D., a Cons. Aul., Linguae ac Litterarum Russicarum P. P. O. 1) Derschavini, Schukowskii, Puschkini, Koslovii, Podolinskii opera interpretabitur, quinis diebus prioribus hebd. h. XI; 2) exercitationes practicas in scriptionibus Russice concipiendis instituet, quinis diebus prioribus hebd. h. XII; 3) litteraturae Russicae historiam recentiorem tradet duce Gretschio, ternis per hebd. diebus, horis definiendis; 4) Seminarii paedagogici et philologici sodalibus scriptorum variorum Russicorum opera passim interpretanda proponet, additis exercitationibus practicis; d. Sat. h. IV.

CAROLUS EDUARDUS SENFF D., a Cons. Aul., Mathematicae purae et applicatae P. P. O. leget: 1) Mathematicae elementaris partem alteram, maxime in usum Cameralistarum et Oeconomorum, sec. Gregorii Mathematik für Praktiker, ternis diebus posterioribus hebd. h. VIII—IX; 2) curvarum et superficierum curvarum theoriam exponet, secundum librum suum, Theoremata principalia e theoria curv. et superfic., quaternis diebus prioribus hebd. h. IX—X; 3) geometriam puram sublimiorem (Géometrii descriptive) duce Mongio,

binis diebus, postremis hebd. h. IX—X; 4) crystallologiam docebit duce Rosio, binis horis definiendis.

IOANNES HENRICUS MAEDLER D. a Cons. Aul., Astronomiae Prof. P. P. O. cum advenerit lectiones suas loco consueto indicabit.

Cathedra philosophiae theoreticae et practicae vacat, itemque cathedra architecturae civilis.

* * *

HERMANNUS MARTINUS ASMUSS D, classis octavae, ad docendum publice constitutus tradet: 1) Prolegomena scientiae Petrefactorum, sec. Bronnii Lethaea geognostica, Stuttg. 1835—38, ternis horis h. VIII—IX; 2) entomologiam sec. Burmeister, ternis horis h. IX—X; 3) historiam naturalem gastrozoorum, sec. Lamarkii histoire naturelle des animaux sans vertèbres ed. 2., ternis diebus h. VIII—IX; 4) historiam animalium passim illustrabit, d. Sat. h. IV—V.

CLAUS MOHR D., Ling. Gr. in Gymnas. Dorpat. magister ord. super., privatim docens, Horatii carmina interpretabitur, ternis per hebd. horis, d. Merc. h. IV—V et dd. Ven. et Sat. h. X—XI.

MAURITIUS POSSELT D., priv. docens, philosophiae vice fungens tradet: 1) psychologiam et logicam, sec. Scheidleri manuale Darmst. 1833, sexies per hebd. h. V—VI; 2) historiae philosophiae partem alteram, sec. Reinholdi Lehrb. d. Gesch. d. Philos. Jena 1839, dd. Merc. et Sat. h. XI—XII.

V. LECTIONES LINGUARUM ET ARTIUM.

Linguas recentiores docebunt Lectores publice constituti idque ex legibus academicis gratis, binis quisque per hebd. horis.

Germanicam Carolus Eduardus Raupach, Colleg. Assess., Ord. S. Stanisl. class tert. Eques, qui 1) Grammaticam Germanicam docebit duce Heyse, dd. Lun., Merc. et Sat.; 2) exercitationes Germanice scribendi instituet, dd. Mart. et Ven. hh. definiendis.

Francogallicam Carolus Pezet de Corval, Colleg. Assess., exercitationibus practicis instituendis d. Sat. h. IX—X; 2) Boilovium interpretando d. Merc. h. IX—X.

Italicam Amadeus Buraschi, Consil. tit., qui 1) linguae Italicae cursum theoreticum et practicum instituet duce Fornasari-Verce, adiunctis ex Italico in Germanicum et vice versa convertendi exercitationibus, d. Jov. h. IV—V; 2) interpretabitur le veglie Torquati Tassi et vitam Benv. Cellini, d. Ven. h. IV—V.

Russicam Iwan Pawlowsky, Colleg. Assessor, qui 1) carmen Gneditschii interpretabitur РЫБАКИ inscriptum, d. Sat. h. VIII—IX; 2) Conversatorium habebit de scriptionibus exhibendis, d. Merc. h. IX—X; 3) exercitationes instituet ex Germanico in Russicum convertendi sec. Schillerum Vol. VII, d. Lun. h. III—IV et d. Jov. h. IV—V; 4) exercitationes ex Russico in Germanicum sec. chrestomathiam Peninskii, d. Lun. h. IV—V et Ven. h. III—IV.

Ehstonicam Dietrich Henricus Juergenson, Colleg. Assess., qui 1) linguae Ehstonicae grammaticam explicabit sec. Hupelii gram., Mitav. 1818, d. Ven. h. XI—XII; 2) exercitationes in Ehstonice scribendo instituet, d. Mart. h. XI—XII.

Anglicam John Dede, classis decimae, variis scriptoribus Anglicis, poetis et prosaicis, interpretandis dd. Merc. et Sat. h. XII—I, sec. manuale Ideleri et Noltii Vol. III Berol. 1838.

Letticam Benjamin Rosenberger, a Consil. Publ., Ord. S. Wladim. class. quart. et S. Ann. class. tert. Eques exercitationes Lettice colloquendi instituet dd. Mart. et Ven. h. XI vel, si placet, aliis diebus horisque, libellum suum secuturus, Formenlehre der Lettischen Sprache, Mitau 1830.

* * *

Artium itidem magistri publici binis quisque horis gratis operam suam Studiosis dicabunt:

Artem saltandi docebit David Tyron, dd. Merc. et Sat. h. III.

Artem equitandi Rudolphus de Daue, dd. Mart. et Ven. h. VIII.

Artem ichnographicam Augustus Hagen, Consil. tit., d. Sat. h. II—IV.

Musicam Fridericus Augustus Brenner, dd. Merc. et Sat. h. VIII.

Artem natandi mag. vic. Theodorus Stöckel.

Artem arma tractandi magister vicarius Malmström.

Operis mechanici magistrum se offert Bruecker, Mechanicus Univers. litt.

VI. INSTITUTA PUBLICA.

In Seminario Theologico omnes Ordinis Theol. Professores institutiones et exercitationes practicas quater per hebd. moderabuntur. De hoc instituto adeant Studiosi F. BUSCHIUM, h. t. Decanum.

In Nosocomio academica exercitationes dirigent medicas TH. F. E. SAHMEN, chirurgicas NIC. PIROGOFF, obstetricias P. U. F. WALTER.

In Seminario Paedagogico et Philologico exercitationes supra memoratas instituent Directores C. F. NEUE, L. PRELLER et M. ROSBERG. Rectionis negotia per hoc semestre administrat NEUE.

Bibliotheca academica aperietur dd. Merc. et Sat. h. II—IV. Professoribus patet quotidie h. X—I et III—V tempore aestivo, hiberno h. III—IV. Si quis peregrinator Bibliothecam visere cupiat, Praefectum G. FR. BUNGE adeat.

Museum artis qui cupiunt videre, Directorem adeant L. PRELLERUM; qui Museum mineralogicum, Directorem M. de ENGELHARDT; qui zoologicum, Directorem vic. VOLKMANN.

Apparatum physicae spectare cupientibus monstrabit Director F. PARROT; apparatum Chemiae Director F. GOEBEL; Theatrum anatomicum Director A. HUECK; Collectionem pathologicam Director VOLKMANN; Collectionem instrumentorum chirurgicorum Director NIC. PIROGOFF; Collectionem instrumentorum obstetriciorum Director P. U. F. WALTER; Collectionem formarum technologicarum Director F. SCHMALZ; architectonicarum idem Dir. vice fungens.

Speculam astronomicam monstrabit Director vic. SENFF; Hortum botanicum Director A. BUNGE; Collectionem scholae ichnographicae Director HAGEN.


COLUMBIA UNIVERSITY
0026058642